

DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA  
De

# MENSIUM INSO- LITIS VIIS,

Quam

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

**DN. FRIDERICO WILHELMO,**  
REGNI BORUSSICI, ET ELECTORATUS BRANDEN-  
BURGENSIS HAEREDIS &c. &c.

GRATIOSO FACULTATIS MEDICAE CONSENSU  
SUB PRÆSIDIO

**DN. GEORGII ERNESTII STAHL,**  
MED. D. ET PROFES. PUBL. ORDINAR.

*DN. PROMOTORIS SUI OMNI VENERATIONIS  
Cultu prosequendi,*

**PRO DOCTORIS GRADU**

Summos in Arte MEDICA Honores, Iuraque & Privilegia  
legitimè capessendi,

*ad Diem Septembr. Anno MDCCII.*

Horis ante & pomeridianis

*publicè ventilandam proponit,*

**GEORGIUS FRIDERICUS Jäschke**  
Stroppa - Silesius.







## PROOEMIUM.



Vanta sit sexus muliebris ad varios morbos propensio, præ virili, non hodierna demum observatione constat, sed innotuit jam a priscis & remotissimis temporibus ipsis jam primis Medicis, qui proinde uterum tanquam viscus illud, a quo maxime tot mala scæminis obtingere agnoscebant, pro animali quodam in vivo corpore propriam vitam agente, & illi corpori, varias turbas dante, interpretabantur. Hujus rebellis animalis malitia, scæminam plerosque morbos bis, aut duplici ad minimum efficacia & violentia, perpeti, arbitratus est Princeps nostræ artis. Quemadmodum autem illa sunt scientiarum & artium fata, ut interdum quidem minus exultæ in simplicioribus rebus defixæ & impeditæ hæreant; Et tali tempore etiam leuiiores aliquando circumstantias justo plus admirentur: Alio contra tempore, exquisitoribus scrutiniis sublevatæ, variarum pristinarum difficultatum rationes profundius perspiciant: Ita medicina etiam & in talibus & in hac ipsa parte postremo elanso seculo perspicacior, facta, non solum vitam illam



utero propriam negare didicit , sed etiam eundem à multis pathematibus absolvere, quæ ipsi antiquitus quasi unice imputabantur. Testimonium hujus rei possunt dicere passiones , Veteribus dictæ Hystericæ, quas quidem si à parte immediatè affecta , fieri debeat & facta censerì denominatio , nullo jure Utero tribui , sed hypochondriacis potius visceribus adscribi debere , postquam rectè monuit Highmorus, habuit qui hanc causam post ipsum magis magisque prolixè orarent. Quanquam autem Veteribus nunquam detrahetur meritisimum istud encomium, quod Experientiæ studiosissimi, in multis rebus, Praxin & historiam morborum concernentibus, magis ad veritatem facti, quam modum fiendi attendentes, satis sæpè velut hariolati sint, in quam parte, quonam viscere, quonam loco, si non morbi ipsius, causæ tamen præcipuæ, aut occasionis primariæ, sedes sit, atque labes hæreat: Ita cavendum sane est, recentiori quæsitæ ἀνεπίβεια, ne unum actum aut factum immediatè, aliis partibus rectius quidem atque accuratius asserendo; alias interim partes, in quibus origo, totius mali ita hæret, ut illæ faces & incentores seditionum microcosmicarum citari mereantur, propterea statim ita excludamus, ut maxima illa efficacia, & culpa, quam in ejusmodi noxiis eventibus habent, ab illis inconsultò planè removeatur. Meritò certè monendum hoc est, ubi de mensium malis effectibus & successibus mentionem facere, occasio fert. Quamvis enim in numerosis illis atque fonticis, communiter etiam contumacissimis affectibus, qui mensium muliebrium perperam succedentium ἀταξίας sequuntur, plurimis vicibus certissimum sit, jam, in præsentè casu, præsentè morbo, præsen-



sentibus symptomatibus, videlicet immediate, menses ipsos aut uterum, immediate uterinas mensium vias, non propriè laborare: Imò verò illo ipso tempore, nulla propria labe affici: Certissimum tamen tantò magis est illud, quod isti reliqui affectus, qui tantum originis sui ratione à mensium vitiis dependent, neque citius, neque certius, curationem ullam justam admittant, quam hic fons ipsorum, mensium inquam, labes, & sufficienter agnitus sit, & debite exhaustus, aut in justos suos rivos reductus, & ab incommodis restagnationibus derivatus. Curationis, inquam, certæ, promptæ atque solidæ, absolutæque inter est, ut medicus non solum sciat & intelligat, quomodo ejusmodi morbi & pathemata manifesta, ab occultioribus & tantisper veluti latentibus, neque per se in considerationem aliquam venientibus, ita dependeant, ut nisi hi minus evidentes, cicurentur atque intercipientur, illi alteri nunquam verè superari atque vinci possint: Sed ut etiam fundamentalem methodi suæ intentionem eò dirigat, ut subruto planè fundamento, fons & origo mali, & fomes alibi sese exerentis morbi, subtrahatur atque destruat. Quo quidem intuitu neque veteribus neque junioribus, si qui sunt tales, praxeos scriptoribus, vitio vertere debebit, si illi de rebus practicis, practice loquentes, aliquando morbo cuidam potius patrium aut avitum, quam proprium nomen imponentes, eundem magis ab illa parte denominent, quæ infert passionem, quam quæ perfert. Interim tamen, tantum abest, ut damnemus *ἀκριβολογίαν*, ut potius omnimodo illam & approbemus, & omni studio suadeamus: Monentes tamen ut verax vera atque solida illa sit.

Putamus nobis ipsis obtingere occasionem edendi



speciminis in illo ipso de quo loquimur negotio. Propositum nostrum est, de **INSOLITIS MENSIVM VIIS** Dissertationis **INAUGURALIS** loco agere. Immen- sum esset, omnes historias commemorare, quot modis, atque locis, aberrans hæc evacuatio, hic illic è corpore eniti comperta sit; unde equidem non in nos suscipimus hunc laborem, ut nudas aliorum observationes & historias transcribamus: Sed sufficiet nobis, ut veritatem facti, quod hoc sæpè accidere soleat, & facilitatem modi, quomodo nimirum hoc fieri utique satis promptè possit, demonstramus.

Unde illam imprimis methodum servabimus, ut antè omnia illas evagationes fluxus hujus designemus, quas præcipuè & proxime affectare deprehenditur; Cum enim hæc res in praxi frequentiore habeat usum, tractari utique tantò magis meretur. Deinde subiicimus modum, quo tales evagationes & suscitari & concitari possint: post hac recensemus fortè etiam rariores horum generum euentus: & denique Therapiam, nempe curationis hujusmodi errorum, vera momenta evolvemus.

Faxit **DEUS**, ut omnia cedant feliciter, & in studii nostri Medici aliquod emolumentum.

## CAPUT. I.

### De solitis mensium viis.

**S**upervacuum videri posset, primo intuitu, de *ordinariis viis* mensium muliebrium aliquid præloqui; Cum videlicet apud recentiores Anatomicos, satis certum atque demonstratum sit, quod eruptio sanguinis menstrui, fiat  
tam



tam per vasa in ipsa cavitate, ac veluti *fundo uteri* contenta, quam per aliqua, ad *cervicem* ejus distributa. Verum enimvero speramus, non adeo inutile fore, si paulo solertius, imprimis horum *posteriorum* usum, designare, & considerationem, illius paulo magis serio commendare suscipiamus; Cum in hoc negotio, longè plurimorum, imprimis morbidorum, accidentium & eventuum, rationes fundari, pro re satis evidente habeamus.

Principio quidem, nihil tribuimus antiquorum opinioni, quasi sanguis *menstruus*, unicè de sanguine, *uteri* perpetuo *inquilino*, profluat; Adeoque, sicut immediatè & unicè per *uterum*, ejusque partes subordinatas, erumpit, ita etiam immediatè & unicè, ab *utero* oriatur. Sicut enim motus perpetuò *progressivus* sanguinis, nihil aliud permittit, nisi ut hic sanguis, qui per *uterum* profluit, sanguis de *universâ* massa sit; & quatenus sanguis est, idem hoc tempore sit cum eo, qui in quacunque *disfitâ* corporis parte circumfertur: Ita dubium nullum est, & testantur hoc etiam manifestè, ipsis sensibus obviam circumstantiæ, quod tempore eruptionis menstruæ, *congestio* talis ex ipso *uniuerso* corpore versus uterum, agitetur, adeoque de sanguine *universali* seu *communi*, excretio illa & exoneratio perpetretur.

Unde quidem tanto minus rationalem aliquam *Physicam* causam eruere, aut conjicere integrum est; quam ob rem sacris legibus hoc negotium tam specialibus stricturis censum fuerit; Tanto magis autem gratuita est, illa *Magiæ* Pnevmatolatriæ sanctio, negotium purgationis menstruæ muliebris, ridicula divinarum legum *μυήσαι*, admodum abominantis: Siquidem revera *naturaliter*, exoneratio menstrua, & simplex stillicidium narium, quod sanguinem qua talem attinet, nihil quicquam *Physici* solidi discriminis intulerint.

Et his quidem respectibus, vias *remotiores*, *solitas* tamen, per quas sanguis *menstruus* ferri debet, & ex illis ad *specialissimas* transmitti atque conferri, statuimus utique esse *univer-*  
sum



*sum* systema partium sanguinis com meatui destinatarum : *Propinquiores* autem, imò magis magisque *proprias*, agnoscimus esse illas, quæ cum *utero*, ratione qualiscunque propioris conjugationis, communicant.

Sunt autem hæ, tum partes exteriores, tum interiores *abdominis*; & exteriores, imprimis infrà umbilicum & hypogastricæ: Interiores, omnes hypochondriacæ quæ nimirum cum *Vena portæ* nexum atque communionem aliquam habent.

Cum enim *specialissima* viæ, per quas ipse exitus sanguinis ex utero generatim dicto, contingit, sint, primò *vasa* illa, quæ ab *iliacis internis*, eorumque hypogastricis ramificationibus ad ipsum uteri corpus: à ramo verò *hemorrhoidali*, ad cervicem ejus, distribuuntur: Fit inde, ut *congestio* à diffuso ambitu totius corporis, in hos propiores, imo proximos ad eruptionem, meatus, quasi concentrata, ibidem præcipuè sese exerat, donec *perruptio* vel rectè succedat, vel etiam sufficienter processerit, & ad finem perducta, cessationem talium congestionum seu compressionum ad hæc loca magis immediatæ eruptionis, post sese trahat.

Interim, tantò magis saltem hæc via probè perpendenda, & iusta consideratione æstimanda veniet, quæ sanguinem per *hemorrhoidalem* ramum, à *Vena Portæ* ad menstruam excretionem deducit; Tantò magis, inquam, attente pensitanda est hæc via, quanto minus, ad nostra usque tempora, in negotio nostro condignè æstimata occurrit: Et tamen in toto hoc negotio, etiam specialem hanc commoditatem insuper retinet & præ sese fert, quod tam *vacuo utero*, liberum aditum atque exitum sanguini præbet, quam illæ viæ, quæ, in ipsum substantiam uteri insertæ, quamdiu uterus foetum gestat, valdè turgidæ atque distentæ, hoc verò prorsus evacuato, admodum arctæ & veluti contabescentes cernuntur. Ubi quidem, cum ipsa universa uteri substantia, hoc tempore adeo eximiè coarctetur & condensetur, difficile tantò magis

gis



gis est, ut *liber* exitus per illa vasa debitæ huic exonerationi contingat, cum longe expeditius succedere possit hoc negotium, per modo dictum vasorum horum, quæ ab *hemorrhoidibus* proficiscuntur, ductum, utpote quæ semper in eadem capacitate, sui similia persistunt.

Imò vero utilissimus, quin necessarius, est hic intellectus, de solenni concursu horum *hemorrhoidalium* vasorum; ut ex illo condignè perspecto atque pensitato, facillimus posthac sit conceptus, de modo, quo mensium excretio *insolitas* vias in abdomine, & circa partes cum *vena Porta* communicantes exerat; Ita, ut reverà, cognita satis hac etiam ordinaria conspiratione harum viarum cum ordinario negotio menstruæ evacuationis, facilè comprehendi possit ratio, variorum *conaminum* & *moliminum* circa hæc vias, si progressus ille, præter ordinem impediatur, aut reprimatur.

Quemadmodum autem extra omne dubium, hæc modo à nobis adductæ, sunt *solita* atque *ordinaria* viæ, per quas menstrua evacuatio succedere solet atque debet; Ita, dum de *viis* loquimur, vitio etiam nobis verti non poterit, si de *motu*, quo sanguis per has vias progreditur, adeoque propriè hac *via* incedit, aliquid addiderimus. Quandoquidem spatium quodcunque, per quod nihil it aut progreditur, *via* nomine vix unquam notari solere certum est.

Est autem *motus* ille, vel longinquior, & *eminus* ad exitum materias congregans; vel *propior* ac intimior, in illis ipsis partibus, quæ ultimum exitum præstant, fiens atque vigens.

Prioris generis, est *tonica* illa per totum ambitum corporis contingens *strictura*, qua partes molles, (in ambitu præcipue corporis copiosissimæ, *musculosæ spongiosæ*) ita densantur atque leviter *stringuntur*, ut longè minus sanguinis, quam alias ordinariè solet, ad ipsas diffundi possit, unde necessitate absoluta, tanto majore quantitate redundat ad loca *interiora*: &



inter hæc etiam ad illas partes, quæ nunc immediato exitui interservire debent.

Confirmat hoc & reddit evidens, notissima illa circumstantia, quod foeminae imprimis *teneriores*, & quibus hæc evacuatio non ita laxè atque promptè procedit, virgines; circa tempus instantis, imò verò fientis & procedentis illius fluxus, *pallida, frigidula, flaccida*, & veluti *extenuata*, etiam ipso visu atque levi tactu, deprehendantur: De *torpore* etiam, gravitate, atque *tensione* artuum, imò *pressionis* atque renifus quodam sensu in artubus, ipsæ conquerantur. Propiores verò *pressorii* nisus, & contentiones expressoriae, sentiuntur a multis talibus, modo in *meditullio* abdominis, modò decliviùs circa uteri atque sinus regionem, modo à lumbis veluti, per inguina antrosum, ad eundem sinum: Imò verò, in impeditiore progressu, nisus autem tanto fortiore & maxime contentioso, oritur haud rarò tam vehemens in hisce locis, & nominatim in ipsissimo sinu, *pressorius* nisus, ut indè anxii dolores quasi *diruptionis* instantis, patientibus talibus plane familiares sint.

Ita quidem & *viæ* hæ, & *motus* hi, negotio mensium *soliti* & *consueti* sunt: Procedunt autem in statu exquisitè optimè expedito seu naturali, excretiones solitæ, per has vias, & hos motus, optimè & facillime: Si verò vel *materia* movenda insignem labem contrahat, vel *viarum* libertati aliquid insignis detrimenti atque impedimenti eveniat: Vel *motus* debiti placido & tranquillo successui, turbulenta aliqua perturbatio incutiatur: Tunc confunditur universum negotium, & capessunt menses *vias insolitas*, id est, progressum & successum, a *solita mensura* alienum, & exitum à debito & *solito loco* divergentem. De quibus itaque rebus porrò distinctè agere, noster erit labor.



CAPUT II.

De solitarum viarum menstrualium aberrationibus usitatioribus.

**Q**uemadmodum in tota Oeconomia animali, illud obtinet, ut non facile & immediatè, transitus à locis & partibus maximè diffitis, ad alias & quasi alienas, fiat; Sed potius in vicinia maneat effectus, in proximo quodam loco interruptorum motuum: Vel ad summum, in ejusmodi *disfitum* locum redundet, ad quem alias, diuturna *consuetudine* & repetitis actibus, motus tales facilem aditum reperiunt: Ita offert sese rei hujus veritas etiam in nostro negotio, nempe motibus, menstrui sanguinis excussioni destinatis.

Ita enim fit utique, ut in illis, quæ nullam insignem dispositionem habent, ad longiorem evagationem moliminum talium excretoriorum, incommoda, quæ impeditum & interceptum ordinarium successum atque exitum mensium sequuntur, adhuc circa loca *vicina* subsistant: Id est, *insolitas* quidem vias, sed tamen primum omnium, propius circa *viciniam* solitarum viarum, affectent.

Cum verò in ipsâ viciniâ, *via strictè* dictæ, nempe ad *exitum* debitum aptæ, non æque patulæ atque proclives suppetant; Aut ad minimum, reverà a priori, cuicumque minori habilitati tribuendum videatur, quod ipsa directio constans atque seria, ad ejusmodi loca, in *juniore* præsertim ætate, non vigeat: Observatur hinc communissimè, quod hujusmodi commotiones, circa *proximas* vias equidem suscipiantur, sed non æquè promptè ad ipsum *exitum* pertingant.

Quæ tamen res, sicut in multis excretionum generibus, admodum frequenter sese exerit, ut nempe *conamina* motuum evacuatoriorum circa vicina aut conjugata loca atque organa, suscipiantur, interim non ad exiti usque perducantur, sed in *irritis*, *anxiis*, & sibi ipsi diffidentibus moliminibus atq;



*tentaminibus*, subsistant: Ita fit hoc etiam quam maxime in præsentem nostrum negotium, id est, interclusis viis *consuetis* atque debitis, tentantur viæ *minus* consuetæ: primò omnium quidem *vicina*, tandem etiam, imo vero, pro dispositione prægressa, etiam *disfita*: Licet hæc ipsa tentamina non semper, imò rarius, ad verum usum harum viarum, nempe vicariam *eruptionem* sanguinis per illas, perveniant.

Ne tamen imputari nobis possit, quasi hoc negotium, de affectata subordinatione aliarum, & imprimis *proximarum* viarum, saltem speculativâ aliqua interpretatione ita formemus; monstrat hoc potius, & suggerit nobis hanc, non tam interpretationem, quàm demonstrationem, ipsa Praxis & observatio clinica, dum quibusdam *communia* illa molimina, minus *solita* aut directè convenientia, perpetratis, denique actualis talis *exitus* contingit.

Ut itaque verum *exitum*, seu viam primam, & primariam *insolitam*, nominemus, est illa *Vomitus cruentus*, sursum: aut *Hæmorrhoidum fluxus*, deorsum. Ita enim utique testatur multis exemplis ipsa experientia, quod quod *fœminino* sexui, mensium debitum successum amittenti, *angustia* illæ atque anxietates *præcordiorum*, non solum ad *cardialgicam* tensionem pressionem suffocationem tendant atque procedant: sed etiam, ad actualem conatum *vomendi*, subversiones & *toriones* ventriculi *vomitórias*, vomitum multiplicem & *actualem*, sed & omnino tandem ad sincerum *sanguineum* vomitum.

Neque verò ita *indifferens* saltem occurrit *ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ* hic sanguineus vomitus; Sed subit adeò *vicarias* evacuationes, mensibus *respondentes*, ut longe rariora sint exempla, sanguinei vomitus veluti *idiopathici*, & ad mensium negotium, nullum respectum habentis, quam illius, qui mensium fluxui ita manifestò subordinatur, ut etiam satis exquisitè ipsa *periodo* debita destinationem suam manifestet.

Cum verò *Vomitus* sanguinis non possit fieri, nisi per *re-* stagnatoriam *congestionem* sanguinis ad *venæ portæ* ramum *sple-*



*nicum* (cujus soboles communiter est *ramus Hemorrhoidalis*, uti monuit, D. D. Præses disput. de *Vena Porta*, ex autopsiâ quotidiana, & plerorumque Anatomicorum;) Hæc vero congestio & restrictio circâ hunc locum, fieri non possit, absque *mésenterii*, & per consensum valdè promptum, ipsorum *intestinorum* spasticis motitationibus atque stricturis: Propterea licebit utique jure optimo, has *spasticas* motitationes atq; *stricturas*, quæ fœminis, post amissum solitum successum consuetarum viarum, omnium primo evenire & contingere solent, usitatissimis à *solita viâ* aberrationibus, principe loco accensere.

Et fanè habemus hujus nostræ assertionis Autorem ipsam immediate experientiam.

Ita enim postquam successus debitus mensium detentus est, & tamen non tam ad sanguinis *retentionem* atque statim vergit præsentis fœminæ indoles, (è qua negligentia, *cachexia*, *oedemata*, *hydropes*, pullulant) sed potius ad *activas* commotiones, & *nifus* excretorios tendit; Tunc primo omnium loco, exerunt sese ejusmodi vagæ motitationes, circâ *mésenterium*, & imprimis quidem illum ejus locum, ubi *vena porta* in ramos divaricari comparet; qui nullus est alius, quam illa sub ipso *ventriculo* regio, ubi supremi ad illam spectantes rami, *pancreaticus* & *splenicus*, ab illa proficiscuntur.

Prout autem hic motus in hac parte, *fortior* suscipitur, aut *tardior*; magis præceps, aut lentior quidem, sed eo ipso contumaciôr: Ita variant etiam, & differunt horum pathematum circumstantiæ: Quamvis in eo coincidant *in genere*, ut talibus locis, tali genere affectus sese exerant, neque nisi solo gradu variant.

Sicut autem gropensio illa, & connifus ad *superiores* partes *venæ portæ*, ad *vomitum cruentum* evacuationem collineans, variis talibus *spasticis* moliminibus circa *mésenterii* quasi centrum, & ipsum *ventriculum*, sese exerit; Et in suffocationes tales *cardialgicas* abit, quæ ipsis patientibus sensum talem inferunt,



ferunt, quem suis verbis describunt : Es sey nicht anders / als wenn man ihuen unter der Herz-Grube einwärts mit zwey Händen etwas zusammen drückte / wodurch ihnen als bald aller Dden benommen / und gleichsam verhalten würde : Ita quando motus atque nifus hic, magis ad *inferiora* inclinatur, ad *hemorrhoidales* exonerationes : tunc devolvuntur, etiam hæc ipsa pathemata *torminosa*, ad ista loca, ita, ut gravissimæ torsiones intestinorum, æque ac *stricturæ* inferiorum, mesenterii partium, ibidem sentiantur ; Quo quidem intuitu, ad has inquam, mesenterii graves contractiones, affert, patientibus talibus mediocri levamen, si abdomine plane introrsum complicato sedeant : Quemadmodum e contra immanissime exasperat, si quando, imprimis derepente, surgendo, ferocem illam *stricturam* temere extendere audeant.

Quod in hoc negotio considerationem tanto majorem meretur, pro confirmandis, quæ hæctenus à nobis dicta sunt, est illud, quod clinica experientia testetur, illas imprimis foeminas, quæ *junioris* sunt ætatis, ab ipsa usque adolescentia magis ad *superna* illa pathemata vergere : Quæ verò ætate jam magis *provecæ* sunt, (intra ætates tamen *mensium* excretioni expositas) magis ad *infernas* illas excretionum talium conatus propendere.

Commodè itaque distingvere licuerit *insolitas* mensium vias, in *duas* hæc classes ; alteram, quæ solum *affectatur* atque tentatur, & non tam *exitum* præbere potest, quàm *aditum* tantum, directionem, atque accessionem ad *exitum* : Alterum verò quæ plenum successum & *exitum*, tentatæ exonerationi largitur & concedit. Putamus quod è dictis appareat, quod *prioris* clasfis quæsitæ & *tentatæ* talium viarum, longè frequentiora, imò veluti quotidiana occurrant exempla ; quàm *posterioris*, nimirum actu ad perruptionem *adactarum*, & *exitum* *assectarum* alterius clasfis viarum.

Interim hæc duo specimina utriusque generis, suffice-



re posse putamus, ut tanto facilius pateat applicatio, ad reli-  
quas etiam utrorumque generum, quas similiter paucis indi-  
gitare, propositi rationi consentaneum fore arbitramur.

### CAPUT III.

De

## Longius evagante viarum men- struarum declinatione.

**E**Gimus præcedente capite de illis *deviis*, in quæ, proxi-  
mè à suo justo tramite deflectere solent menses, in  
comparatione ad viciniam solitarum justarum atque  
*ordinariarum* viarum. Progredimur hic ad illas, quæ ad  
minimum ratione *situs*, à *solitis*, ordinariis, longiùs absunt.  
Et sunt *caput*, *pectus*, imò denique *artus*.

Loquimur de distantia imprimis *locali*, cujus intuitu  
nulla probatio à nobis postulabitur, quod *caput* & *pectus*, ab  
*utero* longius distent, quam *abdomen* & viscera in illo conten-  
ta. Si verò *ordinem* & *successum* solitum spectemus, quo natu-  
ra *hemorrhagias* in genere perpetrare deprehenditur, in ætate  
adhuc juniore, clementiore significato venire deberet vocabu-  
lum *insolite* viæ: Nisi quod ad menses comparando, de qua  
re nobis est sermo, absolute utique, sint & maneant mensibus  
*insolite* hæ viæ, quantumcunque tandem de reliquo, & ab-  
soluto intuitu de exoneratione sanguinis simpliciter loquendo,  
*usitate* sint & consuetæ.

Suppono videlicet ex illo systemate pathologiæ, quod  
D.D. Præses semel iterumque adumbravit & in medium  
propofuit, quod *Hæmorrhagiæ*, pro exoneratione & *sublevati-  
one* corporis institutæ, primo omnium exitum suum fortian-  
tur per *nares*; Nimirum *ætatis* etiam primis annis, puerili &  
adolescente ætate.

Proximè post hanc, *adulta* circiter & prima juvenili æta-  
te, declinat ille conatus per eruptionem sinceram sanguinem  
ventilandi, ad *pectus*.

Ex



Ex hoc fundamento eveniunt puellis & juvenculis, *declinationes* ejusmodi viarum menstruarum, ut loco infernæ per *uterum*, excretionis, per superiorem, *caput, nares & pectus*, modo quærat<sup>r</sup> atque tentetur exitus, modo perpetretur.

Quanta quidem in ejusmodi rebus sit vis *consuetudinis*, quotidianam experientiam testem consulere, jam pridem ad nauseam usque inculcatum est, variis locis & occasionibus, à Dno Dn. Præside. In nostro vero præsentè negotio, habet ea res multa exempla, ut variis, sed quotidianis speciminibus, cognosci possit, quomodo hæmorrhagiæ tales, præfertim *mensium*, negotio & debito speciali successui, tantum præjudicii adferant, ut sæpe numero, non æque justum sit dicere, quod menstrua evacuatio, ad ista loca *deflectat* & evagetur: quam potius pronuntiandum videatur, quod natura solum solitam *pristinam* viam sangvinem evacuandi, prosequatur, & ad alteram illam, tanquam sibi adhuc minus cognitam aut aptam, imò insolitam, minus propendeat.

Ita nimirum sæpe numero occurrit hoc exemplum, ut puellæ aut juvenculæ, a tenerioribus annis, *narium* frequentioribus aut copiosioribus hæmorrhagiis affvefactæ, ætate alias consueta ad mensium fluxum, nulla perferantur conamina, sed potius 16. 17. 18. annos prætergrediantur, non solum sine eventu aliquo mensium: Sed non ita rarò etiam sine incommodo aliquo insigni, modo successus consuetarum *hæmorrhagiarum* antiquum obtineat.

Ubi verò hoc etiam non æque ita succedit, ubi, inquam, hæmorrhagia *narium*, alias consuetum frequentem atque liberum successum etiam non æque continuat; interim tamen neque *mensium* eruptio tempestitiva & sufficiens sequitur; ibi sanè multiplicibus incommodis, non solum sternitur, sed aperitur via.

Imo licet hujusmodi scæminæ, antiquum successum consuetarum suarum *hæmorrhagiarum* non experiantur: adeoque actualem aberrationem à via sua, *mensis* non subeant: Maxime



me tamen familiare; & innumeris quotidianis exemplis notum & usitatum hoc est, ut nihilo magis propter ea menses, tanquam *nova* inttroducenda *consuetudo*, successum debitum nanciscantur: Sed ad summum anceps quorsum sese totam impendat natura, *neutram* ex instituto, & ea qua decebat efficacia profequatur.

Imo verò maximè quam familiaris est ex hoc eodem fonte fluens, altera illa, ad antiquum relabentis hujus excretorii motus aberratio, ut, si vel maxime debitam viam menstruæ evacuationis capeffat natura; nihilominus, etiam ob leviores causas, tanto magis autem ob incidentes graviores perturbationes, talibus viis dudum assveta natura, profecutionem atq; continuationem *menstruarum viarum*, tanto levius iterum *omit*at, & ad *pristinas illas* sive pergat, sive certe ad minimum *ver*gat & inclinè. E quo cœpto, veluti certissimè & promptissimè, prognascitur paulò ante dictum istud incommodum, ut, licet viam non ipso effectu penitùs & absolutè mutet, inter utramque tamen ita anceps *fluctuet*, ut *neutri* satisficiat, eamque penitus in effectum deducat atque exequatur: & hoc, quod meritò iterum repetimus, tanto promptiùs, & per leviores occasiones ita perpetret, quo magis alteri illi viæ assueverat.

Referenda vero huc iterum est illa animadversio, quæ in præcedente capite, de viarum saltim *tentatarum* consecutariis monui, quod, uti ipsæ viæ non semper *pervie* fiant, sed saltim *congestionès* circa illas formentur, adeoque incommoda varia, dolores varii, hinc cooriantur tensivi, distensivi, & inde pulsatiles, inflammantes, aut tumores oedematosi; ita in præsentè etiam, à nobis allegato tramite, eadem ludatur scena, dum ex illis stasibus aut *congestionibus*, quæ ad hujusmodi loca fiunt, talibus patientibus varii dolores *capitis, oculorum, aurium, dentium, cervicis, scapularum, humerorum* indè ingruunt, aut, loco oedematosorum tumorum in inferioribus partibus, veræ eruptiones, *seroso-lymphales* seu catarrhales: adeo, ut etiam im-



petuosa & copiosa fluxio per nares, *phlegmatorrhagia*, ploratio seu manatio perpetua alterutrius oculi, sputatio copiosa atq; diuturna, multiplicibus exemplis quotidie sese offerant atque sistant.

Collustratis itaque hisce viis, quæ circa *caput*, partim quæri solent, partim usurpari; non potest utique silentio prætermitti, affectatio eruptionis aberrantis menstruæ per *pectus*: Unde quidem scæminis præsertim paulo magis plethoricis, simul ac vitia mensium incurrunt *adultæ* ætate, primo prope modum occurrit & ingruit, insignis coarctatio *respirationis*: Et hæc communiter tanto insolentior, quo minus, aut moderatius, exscensiones ad *caput* ipsis obtingunt.

Ubi quidem minimè nos fugit, quod multæ tales angustiaë circa *respirationem* etiam *hypochocondriorum* vitium agnoscant, & non tam absolutè unicè *pectoris*, quam etiam *præcordiorum* sit illa angustia: interim satis frequenter *pectoralem* esse etiam illum affectum, imo frequentissimè utrumque inter se *conspirare*, clarum reddit quotidiana observatio, & tot eventus, tum *hæmoptyci*, tum *phibisici*.

Nimirum hoc etiam in loco, non ita eximie ad *exitum* ipsum connititur totus impetus, quin longe plus, longè sæpius, longè diutius, in *congestione* atque stasi, circa loca, illi generi excretionis destinata, patientes fatiget & exerceat. A quo videlicet fundamento, pendet multiplex illa *asthmatica*, *tussiculosa*, *suspiriosa*, talium patientium angustia & anxietas; longè manifestius à *pectoris* ipsius oppletionem sustentata, aut ad minimum exacerbata, quam ut *hypochocondriacis*, præcipue *solis*, causis, verisimiliter adscribi possit.

Tollit verò ambiguitatem, certè minimè rara aut infrequens, *perruptio* plenaria & absoluta, *hæmoptysin* absolutam sistens, quicum numerosæ hujus classis patientes conflictari observantur. Neque verò hoc tantum ex *accidenti* communi: Ut videlicet patientibus paribus, a quacunque alia causa, non nisi è *longinquo* conspirante, & quam minimum contribuyente mensium errore, *hæmoptylis* ita eveniat: Sed sæpe



æpe prorsus exquisitè *statis* temporibus, quæ *menstrua* purgationi debitæ respondeant. De quo statim dicemus.

## CAPUT IV.

De,

# Vera menstrua harum insolitarum viarum ratione.

**C**UM titulus Dissertationis nostræ loquatur de *mensium* insolitis viis; omninò incumbit nobis declarare, quod hæctenus dictæ evagationes excretionum sanguinearum, cum *mensium* motu aberrante consensum habeant; adeoque, quæ nostra est assertio, *mensium* insolitas vias constituent. Utimur pro hoc scopo *duplici* argumento; nempe *primo*, quod hujusmodi declinatio sanguinearum evacuationum, licet exquisitè *menstruas periodos* non imitentur, tamen *mensium* deflectentium ἀναξίαν vel sequatur; Vel ita post se trahat, ut illi impofterum magis magisque a femita, sua recedendo, certum suum *nexum*, cum hujusmodi alio divertentibus motibus, satis conspicuum reddant. *Secundo* confirmamus hoc illo indubio argumento, quod numerosis exemplis constat, has easdem devias evagationes, quæ aliquando, imò verò fortè frequentius, non æque exactè *menstruos* motus servant, sæpè tamen contrarium præstare, *menstrua* inquam tempora sequi, & satis exquisitè, *proprie* dictas *menstruas periodos* capeffere.

Imò verò de ipsis illis prioris generis, quæ non æque, *strictè* *menstruos* circuitus capeffere diximus, observatur tamen illud, quod ad minimum *circà tempora*, mensibus alias respondentia, frequentius sese exerant, aut, leviore etiam data occasione hoc faciant: Vel etiam, superstitibus adhuc, sed tantum *debilioribus* & *insufficientibus* *menstruis* commotionibus, levissimis oblatis incitamentis complicantur: aut, præ-



maturam mensium illo tempore restitutionem statim excipiant & sequantur. Ita omninò quidem est, quod menstrui fluxus negotium præ omnibus aliis hujusmodi evacuationibus, hanc veluti prærogativam habeat, ut *certo* determinato illi tempori alligetur; Cum aliæ evacuationes, tam *sanguineæ*, quàm tanto magis quæcunque reliquæ, laxioribus spatiis, & *generalioribus* circumstantiis temporis, quasi leviter assignatæ appareant; ut *æquinocitiis, solstitiis, insignibus tempestatum* mutationibus, imprimis excedenti *æstui* &c. Nihilominus non ita absoluta solius uterinæ excretionis alligatio ad menstruum tempus, habenda est, quin etiam in aliis, quasi manifesto destinatis horum generum exonerationibus eadem mensura, observari solent.

Ita enim *Hæmorrhoidalis* fluxus, *menstrua* tempora servantis, tot ubique sunt exempla, quot, etiam *citra* hoc statum, tempus inter viros hæmorrhoidum exempla dari, vel medicorum paucissimi credunt. Viri *menstruam statum hæmoptysin* per annua tempora experti, historia peculiari Dissertatione, sub Dno Doct. Præf. publice tractata est, neque vero ita singularis est ipse casus, quin longè frequentius hinc inde occurrat. *Mictum cruentum* exquisitè *menstruum*, absque omni reliquo incommodo, præter lassitudinis circà illa tempora sensum, in viro aliquot supra sexaginta annos agente, hic loci pariter expertus est D. D. Præses.

Quæ cum ita sese habeant, ut nempe etiam reliquæ *hæmorrhagia*, quæ alias magis indifferenter tempora quasi accidentaria sequi solent, & quidem in sexu plane diverso, nihilominus sic satis sæpe *menstruum* tempus subeant; Dubium utique nullum est, quin è converso, etiam ipsæ *menstrua* excretiones, omiſſa hac temporis *mensura*, in tempus magis *indifferens* devolvi queant: Aut, quod idem valet, illa alias tempore & mensurâ *stata* exoneratio, etiam non ita determinato tempore, tanto *largioribus* mensuris compensari, ut adeo exacta harum rerum partitione, minus opus sit. Interim il-

lud



lud utique notabile. quod cum ejusmodi de reliquo *deflectentibus* evacuationibus, quæ tamen *statum* menstruum tempus adhuc strictius sequuntur, communiter etiam *motus* mens-truus uteri adhuc magis conspiret. Unde quidem ex hu-jusmodi casibus, tanto frequentius eveniunt illi, ubi cum hujusmodi determinatis evagationibus, aliquid adhuc ipsius *menstrui* fluxus quasi concordiam fervet, & juxta cum illa a-lienore commotione, etiam hæc *justa* menstrua *uterina* eva-cuatio, adhuc aliqua ex parte sese exerat.

E contra longè familiarius eveniunt *alienæ* istæ atque dislitæ eruptiones actuales sanguineæ, quarum causa mensi-um legitimi motus plane abolentur, & quasi nullum sui ve-stigium reliquum faciunt, imprimis si istæ alienæ mensura admodum excefferint.

## CAPUT. V.

### Dictorum aliquot exempla.

**U**T exemplis nonnullis hæctenus dicta illustremus, li-cebit hic allegare aliqua, quæ ipsi D. D. Præs. occur-erunt in hoc genere, non postrema consideratione digna. Ita enim honestissimæ Matronæ obtigit, ut cum a multis annis, tot tantaque minus ordinati fluxus menstrui incommoda experiretur, ut Medici maxime ambi-gui hærerent, an concurrentibus variis gravissimis affecti-bus, *hydropicis* tumoribus, ætate adhuc admodum juvene, *febris* chronicis, modo aliquot annis deinceps revertenti-bus, modo continuos annos perennantibus & inter hæc *capitis*, *præcordiorum*, *abdominis*, *sinus*, *coxendicum*, *ossis su-cri*, variis pathematibus &c. an, inquam, talibus, ut *subsequentia*, illa *mensum* vitia adscribere deberent; an verò contra, à *mensum* vitiis, morbos illos arcessere: Quamvis quàm maximè prior sententia communiter ipsis magis placuisse, è



diversis circumstantiis appareat. Hæc, inquam, femina, obtulit ante hos septem annos sequentem œconomia suæ corporeæ constitutionem. Laboraverat duobus proximè præcedentibus annis, febre *tertiana* per plures septimanas, à qua denique per usum famosæ tunc temporis *China China*, liberata, quin etiam post recidivam, ut in hoc artificio familiare est, tandem à febre restituta apparuit. Laborabant interim *mensēs*, non *tempore* neque universo *motu*, sed debita solum *quantitate*; Ita ut *tempore* quidem satis *stato* sese exerent, sed vix aliquot *horas*, parcissimo proventu, sese offerentes, mox iterum evanescerent. Paucis horis elapsis, percipiebat patiens *ascensum* acutissimi dolcris, quasi per longitudinem *spinæ dorsī*: paulò post invadebat repentinus acutissimus dolor, *tempora*, qui levibus progressibus, totum caput, à futura *lambdoidea* ad *infimam frontem* usque, imò ad *bulbos* oculorum, obruebat: Ita vehementer, ut patiens, præ hoc dolore, dies noctesque insomnes agere cogeretur. Intumescebat, non solum *caput*, sed etiam *facies*: summa verò capitis portio, per totam regionem bregmatis, tanto *algoris* sensu laborabat, ut patiens perpetuas suppetias culcitrarum calefactarum efflagitaret, à quibus licet ita concalefactis, ut etiam ustularentur, vix tamen aliquem sensum frigoris contemperati percipiebat. Quoties autem doloris hujus intemperantia remissior apparebat, quin etiam hæc perdurante, si paulò impatientius (quando nempe vires permittebant) corpus jactaret, aut corpus, in quo æstus sensum percipiebat, refrigeraret, cooriebantur paulò post graves *anxietates & angustia præcordiorum*, & magna propensio ad vomitum. Præcipuè verò, non modò jacebat omnis *appetitus*, sed tolerabat stomachus quàm minimum cibi, quin mox *cardialgie*, & omnia illa *angustiarum* gravissimarum pathemata, indè suscitarentur. Hic status servabat ad minimum *trium dierum* tempus; mitescebat autem *quarto* die. Et ita intepescebat successivè, ut exacto circiter octiduo, tolerabiliter ad se rediret patiens. Finitis dehinc tribus septimanis, revertebatur hæc



hæc eadem scena. Hanc methodum servaverat totis decem mensibus hoc improbum malum. Id erat in hoc suo recurſu ejusque decurſu, illo ipſo tempore, quo vocatus acceſſerat. D.D. Præſes, eo excepto, quod hac vice, neſcio quo ex errore, finito ſummo illo impetu *cephalalgia*, non modò non remiſſet virium deiectione, & reliquorum *hypochondriacorum* ſymptomatum ſyndrome, ſed potius invaluiſſet: Donec duodecimo circiter die, à primo inſultu, ille *præcordiorum* dolor, tanto impetu prævaleſceret, ut exquisitiſſimæ *inflammationis ventriculi* omnia ſigna exhiberet. Ante omnia *inflatus* hic erat, & dolorem cauſabatur ita exquisitiſſimum, ut patiens non ſolum corpus ne minimo motu percellere auderet, ſed etiam tactum *lecti*, *lintheamentorum* calidè imponendorum, imò *linimentorum* cum pluma applicationem, anxie perhorreſceret: Cum verò intenſa ſiti laboraret, quidquam potulentorum aſſumere meritò anxie reformidabat, quoniam quantulumcunque, præcipue tamen *frigidulum*, deglutiret, aſſurgebant ſtatim 6 ad 8. & 12. ructus, cum tanta patientis concuſſione, & intenſo dolore, ut ab acutis clamoribus ſibi non poſſet temperare. Concurrebat cum his omnibus calor *febrilis continuus*, quamvis nullos equiſitos paroxyſmos formaret, tamen verſus noctem, veluti ordinariè ingraveſcens: *Alvus* inſuper, niſi quantum clyſteribus proluébatur, erat adſtrieta. Relatis omnibus circumſtantiis, imprimis autem illa, de *menſum* conditione, dirigebantur, inſtantibus proximâ vice iterum *menſibus*, medicamenta ad horum juſtam expeditionem; Siquidem totam hanc tragœdiam nihil aliud eſſe, niſi affectationem *inſolitarum viarum menſtruarum* pro fundamento Therapiæ ſubſternebatur. Ita quidem, cum remedium ad manus eſſet, in hoc negotio pleraque alia longe poſt ſeſe relinquens: Hac ipſa periodo, elatio illa *ad caput*, in ſolidum ſublata eſt; minimè tamen totum malum abſolutè ſopitum aut pacatum. Fluxerunt nempe menſes, equidem per 18. horas, aut paulo amplius, & in proportione ad priſtinam paucitatem largiter: Sed reſtiterunt



runt deinde. Successit autem loco illorum multorum pathematum, nihil aliud, nisi *sinistri lateris*, sub costis (magis tamen exquisite regioni illum respondens, nempe à latere versus dorsum excurrentis) *inflatio*, non solum dura ac renitens, sed simul ita penetrantissimè *sensibilis*, ut ad quemlibet corporis motum, gravissima exacerbatione, puncturas adeò acutas formaret, ut patiens sine clamoris ejulatibus, non posset durare. Hic dolor, *succedente* interim *indies alvo*; nec ullo alio molesto per totum reliquum abdomen residuo, nedum conjuncto aut conspirante, cujuscunque doloris sensu (ut nœnia illa, quasi hic dolor in specie, non modo intestini *coli*, sed illius *solius absolute*, affectus sit, a nemine per ejusmodi circumstantias salvari posset) Hic ipse ejus dolor, mitigatus quidem est sensim, minime vero sublatus, per triduum: illo vero denique exacto, tandem in solidum conquievit; & rediit ad se, patiens, paucis succedentibus diebus: in meliorem nempe quam ab aliquo proximè retro tempore, statum. Revertente iterum *tempore*, (quod satis exactum servatum fuisse, iterum monemus,) quo menses expectari debebant, occurrebatur denuo expeditiori ipsorum proventui, per bonum, medicamentum, eo successu, ut nunc per plenum *biduum*, *continè & largiter* profluerent. Erat inde ipatiens eximie sublevata; Remittentibus nunc etiam mensibus, revertebatur eadem penitus nupera illa passio *splenica*, quo ad typum quidem exactissimè eadem, sed sensus *angustia* longe minori, nec huius exquisitoris sensus etiam valdè sensibili duratione: Qualicunque tamen, utique perceptibili sensu, ante quartam diem non evanescens. Post hæc autem tempora cum non solum *menses*, ad sufficientem, & placidum quidem penitus, successum reducti essent; sed etiam *ventilatio* totius sanguinis, *venesectione* administrata fuisset, conquievit hæc translatio *menstrua ad caput*, ità absolutè & insolidum, ut integris quinque annis, nihil amplius negotii facefferet, imo ne quidem ipsum caput *attingeret*, aut ad illud inclinare appareret



reret. Excipiendus tamen est, unicus, & profectò in hoc genere notabilis, casus. Cum nempe non parum præsidii, nec immerito quidem, collocaret medicus, in tempeſtiva, *preſervativa, venæ ſeclione*, Vere & autumno, in *pedibus* inſtituenda; Tonſor autem, qui huic negotio adminiſtrando adhibebatur ( uti quidem plerique ſolent ) Venæ in pedibus ſecandæ minus habilis, jam aliquoties parum expedite patientem, hanc tractaſſet, & quidem illo ipſo tempore, repetita etiam punctura, Venam non aſſecutus eſſet; illa, quæ hujusmodi ſubjectis propria eſt, ſapientia, ( & quidem, uti docti ſunt, ex recentiſſimis principiis & inventis anatomicis, exædificata ) argutatus eſt: fruſtra eſſe hanc ſuperſtitionem ſanguinem è pedibus mittendi; dummodo ventiletur ſanguis, quod longe commodiſſime ſuccedat in brachio, eundem ſucceſſum ſecurè expectari poſſe. Dictum factum, ſecatur vena brachii. Succedente poſt quatuordecim dies fluxu menſium, langvet ante, ſub, poſt ipſum, patiens; & ceſſante etiam ipſo, quantumvis ſatis ſufficienter factò, non ſolum prehenditur iterum a leviſſimis capitis doloribus: ſed *inflatur* in ſpecie, quamvis modeſtius, maximè tamen manifeſtò ad ipſum viſum, *caput*. Sexto demum anno, inter multas, variorum pathematum, & vagarum medicationum, turbas, invaſit iterum caput graviffimus dolor; adhibitis deſuper *opiatis* ita pertinaciſſimus reditus, ut non ſolum medicationes, imprimis *variorum diverſas*, reſpueret, ſed etiam graviffimos exitus fortiretur, *viſus in altero oculo amiſſione*. Erat verò à priſtino ita maxime diverſus; ut, *primò, hemicranicus* nunc eſſet; *ſecundo*, minimè omnium *ſtatus*, nedum *menſtruus*.

In hoc uno exemplo ſiſtunt ſeſe diverſa ſpecimina ſupra dictarum illarum *inſolitarum viarum*, ſub impedito ordinario progreſſu, quæſitarum. Ante omnia conſpicuus eſt inſultus ad *caput*; deinde, non modo evidens, ſed omnino vehemens, congeſtio ad *ventriculum*, qualis *vomitibus cruentis* molimina indigitat: Tandem ſpecialiſſimæ *congeſtiones ad ſplenem*: & hæc omnia



omnia *statis* penitus, nempe *mensium* motui manifestissimè respondentibus, temporibus,

Poterat quidem etiam mentio fieri, quomodo placatis omnibus hisce menstruis aberrationibus, posthac duabus vel tribus vicibus per unum annum, patientem hanc invaserint repentina gravissima *tormina*; à vespera ad diluculum continua, cum concurrentibus non solum *dejectionibus* liquidis: sed imprimis conjuncto *tenesmo* insigni, sub quo cruenta, nempe *striata* sanguine materia secessisse observata est. Sicut hic *tenesmodes* impetus, etiam alioquin intra illa tempora aliquoties perceptus est, sed absque ejusmodi *dejectionibus*, & absque talibus *torminibus*; concurrente solo insigni *tensivo*, & interlancinante dolore, per longitudinem ossis sacri: neque ibi *dejectionum* talium *cruentatarum* concursus annotatus, quia *patiens* de *observanda* curiosius hac *circumstantia* nondum monita fuerat, dum *transitorium* hoc incommodum illis vicibus medico denunciare neglexisset. Interim in hisce *hemorrhoidalibus* moliminibus, in hac patiente deerat ullus respectus evidens ad *menstruum* tempus.

Aliud exemplum, commemoratum est in Dissertatione Epistolica de *Motu Toxicò*, quod sistit virginem, quæ sub ipso *fluxu mensium*, & sub finem *coenæ*, vehementi terrore perculsa, *mensium* quidem *suppressionem* præsentissimè perpessa est; sed post aliquot horæ quadrantes, incidit, in graves *cardialgias*, *suffocativas*, *syncopticas*, quæ denique in vehementem *vomitum* desiere stipatum tamen adhuc gravissimis his *anxietatibus*, utpote, quæ non, nisi *medicamentis* cedebant. Conquiescebat autem hinc adeo ut altero manè nulla superessent tantorum tumultuum vestigia, sed sola fatigatio adhuc perciperetur. Postquam autem *mensium* tempus revertebatur, ibi sub initium ejus septimanæ, cooriebantur *vomitibus* omnium, *assumptorum*, per duos vel tres dies, constante sibi appetitu. Post, per totidem dies, urgebat frequens & vehemens conatus *vomendi*, etiam vacuo prorsus ventriculo, & perierat quidem



dem hoc tempore, omnis appetitus. Sequebatur autem mox altero horum posteriorum dierum, *sanguis* cum vomitu, neque paucus, sed *copiosus*, modò liquidus, modò coagulatus. Sub finem tandem tot dierum, erumpebant *menses* ad paucas horas. Ita cessabat mox *vomitus*; redibat satis maturè, successivè tamen, *appetitus* & *virium* robur. Hæc periodus maximam partē sanguinis menstrui vomitu exonerandi, assumebatur hac ratione, & retinebatur perpetua repetitione, in quintum usque anni quadrantem, i. e. per *quindecim* circiter *menses*.

Alia patiens per longum tempus, vehementi *pectoris* angustia seu *asthmate* obsessa, & diu admodum inconvenienter & copiose quidem *expectorantibus* tractata; à quibus non modo copiosissimam *congestionem* ad pectus, sed insuper *purulentum* copiosum sputum, & alia veræ *phthiſeos* pathemata, incurrerat: incidit tandem, circà æquinoctium vernum, (quo tempore alias, sicut etiam autumno, sanguinem mittere a tribus circiter annis, cum euphoriâ consueverat, quod præterito autumno, dissuadente novo suo medico, intermiserat) in *hæmoptysin* repentinam quidem, & plane sinceram, sed non admodum copiosam; adeò, ut vix 6. cochlearia excederet, tota quantitas, qua rejecta etiam spontè resedit totus impetus, neque reversus est amplius: Quamvis octo circiter horis post, *tussis* vehementissima, (quam per aliquot septimanas hætenus, non aliter, quam vero quodam *typo*, circa diluculum, & hora quinta vespertina, proximè per integræ horæ spatium tolerare assuefacta erat) ipsam valdè concuteret. Nequè verò adhibitis remediis, quæ universo malo conveniebant, post hac unquam iterum sese exeruit *hæmoptysis*, excepto leni insultu, de quo loquemur. Sub copiosa illa perpetua *expectoratione*, qua per *sex & viginti* septimanarum spatium quotidie circiter *tres libras*, (ad minimum à 2. ad 3.) sputi, cum vehementissimâ tussi rejecit, debilitato gravissime universo corpore, & humoribus excrementitiis, velut universim ad pe-



Etus compulsis, & hoc quidem maximè per congestionem motus sanguinis ad hunc locum, *cessaverant menses*. Paterens erat circiter 36. annorum; Antè hujus expectationis tempus quamvis verè hectica ab aliquot annis, *successum* tamen *mensium* ad minimum tolerabilem experta: *hic* jam, uti dictum, *suppressus*, facta insuper *hæmoptica* eruptione, expediendus iterum erat, ne tanto magis *hæmoptyses* periculum increbesceret. Fiebat initium à *venesectione* in pede; cum tanta reliqua patientis euphoria, ut circiter octo post diebus, rhedâ suâ in publicum iterum prodierit. Incidente 14. diebus postea, tempore debitæ evacuationis *menstruæ* (nempe ad pristinam periodum phasi lunæ accommodatam) dato medicamento, reliquum lenissimo, ad has tamen sanguinis excretorias commotiones, utique non inefficaci: loco *menstrui* sanguinis, exhibebant sese indicia, eruptionæ rursus *hæmoptyses*, justum metum afferentia, nempe non solum major, & sicca, illa quidem *angustia pectoris*, & improbus ille sensus *titillationis in aspera arteria*: sed etiam actualis eruptio *sanguinis*, intra *striarum* tamen floridarum, reliquo profundius exantlato mucoco immixtarum, paucitatem subsistens. Ubi obiter moneamus, quod tum prior illa copiosior & sincera *hæmoptysis*, tum hæc ejusdem repullulantis machinamenta, illo ipso horæ quadrante, vel amplius, quo sese exerebant, ne minimam commotionem tussis comitem habuerint: Sicut etiam in plerisque *hæmoptycis* communissimè fit. E contra vero præcesserat illam primam *hæmoptysin*, quinque circiter horis ante ipsius eruptionem, sub ipso placidiore somno matutino, sine ulla manifesta occasione sponte coorrens, non solum *palpitatio cordis*, sed tanta etiam illius commotio *circà caput* ut generosa patientis indè expergefacta, & hujus accidentis alias imperitata, non satis sibi imaginari possiet, quid & unde illa plane *sonora* (uti solet esse) *cordis palpitatio*, & vehemens arteriarum *circà tempora* micatio, sibi portendat: sicut quidem hunc sensum exprimebat: Es wären Ihr alle die Adern umb den Kopff /  
mit



mit schlagen gleichsam lebendig worden: Subfidente iterum post quadrantem horæ circiter hâc commotione, ut alias admodum firmi & præsentis erat animi, somno, quasi defatigata, iterum indulgebat, & ita sic satis tranquille, in tertiam usque horam dormiebat; Hinc evigilans (erat hora 8. matutina præterlapsa) quiescebat tamen, & vere niçtabat maximam partem: donec altera quoque hora præterlapsa esset: Ibi tacitè, sed repente, scaturiebat velut repentino impetu, fluidus quidam & calidus liquor e faucibus in os: Quem, quantum, bucca quasi capiebat, cum expueret, ejusque rei causa sese, ad latus lecti inclinasset, sincerum *sanguinem* esse animadvertibat: Qui cum sexta vice repentino impetu buccam ita explevisset, non majore in singulas ejusmodi mensuras, temporis spatio, quam quanto ad respirationem sedatiorem opus sit, sponte substitit.

Ita ex hoc etiam casu comparet, quomodo sanguis loco *menstruæ* excretionis, *hæmoptycam* eruptionem occupare jam paratus, & quod germani dicimus, in via fuerit, seu viam in-stiterit, insolitam & inconvenientem.

Ita mihi ipsi occurrit sequens casus. Fœmina admodum plethorico, cum Viro nupsisset vehementer prodigo, à quo insuper pessime habebatur, tandem in inopiam, & quod ajunt, ad incitas propemodum redacta, multis curis defatigabatur, & profundam suam sollicitudinem largis lacrymis subinde testabatur. In hac animi prostratione, incurrebat aliqua corporis etiam damna, & valetudinis periclitationes, quæ propemodum initium sumebant, à *mensium imminutione*, quæ tamen maturè in *suppressionem* plenariam transibat. Cum tamen non eo usque prævaleretur reliqua valetudinis vacillatio, ut a familiaribus domesticis negotiis patientem arcere posset: factum inde est, ut per initia rem negligeret, sensim autem, cum nihil gravius denuò subsequeretur, ita velut assuesceret, ut per totos septem annos, fluxum hunc non amplius sentiret. Imò, obliviscebatur ejusdem tanto facilius, cum in-



tra horum annorum decursum, bis gravida facta, infantes enixa, iisque lactandis ipsamet occupata fuisset : Sicut etiam infantes optimè constituti vixerunt. Tandem vero incidebat in *febriles* commotiones, quæ primo quidem, quotidianis paroxysmis, iisque satis vehementibus per totam æstatem exercebant ægram : Tandem *China China* usu compeſcebantur. At vero non ita longo tempore post, denuo erumpens febris, *tertiana* typum exhibuit. Cum res per usum *China China*, priore morbo pulchre cessisse videretur, iterum adhibita est, & quidem, quantum ad febrem attinet, cum optato successu ; quandoquidem paroxysmi, quin tota manifesta febrilis commotio, mox cessaverunt. Subsecuta vero ab illo tempore est longè manifestior valetudinis labefactatio, quandoquidem & alias cum sanitate in gratiam minimè rediisse videbatur, & post valde parvum tempus, longe majore impetu, quam nuper, ipsa quoque *tertiana* denuo cooriebatur. Adhibitus in consilium, ad affectum ita constitutum, exhibui aliquot doses, ex sale absynthii, Antimonio diaphoretico, & terra sigillata strigoniensi : Cujus pulveris tertia statim dosis febrem profligavit, ut nullus paroxysmus redierit. Interim altero statim die emicabat dolor velut urens & ardens, imo terebrans, in artubus inferioribus. Imò, reddebantur pedes adeò infirmi, ut lectum petere cogeretur, in quo tamen non solum hæc omnia continuabant ; sed percipiebat patiens dolorem hunc etiam, *sursum* tendere, & molestissimè illas regiones occupare. Cum verò per diem & noctem graves hæc *sanguinis* restrictiones atque *congestiones* tolerasset, summo mane *sanguinem* valde spissum, sed etiam satis paucum, *per nares* excrevit : Ingruente vero vespera *urinam* valde *cruentam* emisit. Ab hoc tempore indies melius habere cœpit, imò, suppeditatis ulterius temperantibus remediis, sub divina gratia ad plenam orthostadiam reversa est. Ex quo ipso etiam specimine deprehendere licuit, quot moliminibus natura sanguine sese exonerare intendat, & quomodo, assecuta quadantenus hanc suam intentionem, tunc demum meliore fide requiescat.



Qui verò plura horum generum exempla, & varia planè rariora, mensum per loca excretionibus sanguinis alias plane inaccessa, perlégere voluerit, facile illorum magnum numerum, apud varios peritos observatores reperiet, quos partim loquentes inveniet, e numero Celeberrimorum *Nature Curiosorum*, in Actis illorum: partim indigitatos reperiet, tam ibidem, quam in utilissimis hujus generis indicibus, *Moronii, Waltheri, &c.* qui, cum in plerorumque manibus sint, non est, quod commemorationibus inde transcriptis, Dissertationem nostram præter institutum diffundamus.

## CAPUT VI.

De

# Methodo medendi menstruis Evacuationibus insolitas vias quærentibus.

**N**ihil longius abesse deberet, a Medico dogmatico, nempe cognito morbo, per methodum rationalem, recte & ordine consulturo, quam immediate ad medicamenta convolare, quæ tantum præsentem morbi scenam respiciant, totius autem tragœdiæ summam, parum aut nihil attingant. Valet hoc profecto eximiè, in magnis illis, diverforum morborum veluti systematibus, *Febribus, affectibus hysterico-hypochondriacis, & variis, modo conaminibus, modo symptomatibus atque consecutariis, hæmorrhagicis sive hæmagogicis*: Utpote à quibus posterioribus imprimis, totum negotium *morborum atatibus propriorum*, pendere, alibi deduxit D. D. Præses, & Celeberrimorum hætenus Practicorum consensum assecutus est.

Sane verò dictitat ipsa sana ratio, quod ejusmodi malis, nisi ex ipso fundo subveniatur, omnis reliqua curatio, non solū *temporaria* sit, & si res rectè æstimetur, palliativa: Sed etiam si præpostere instituatur, tum *fundamento* præsentium incommodo



modorum plurimum contumaciæ adjiciat; tum ipsis sæpe hi-  
sce *secundariis* malis, si magis directe à *primario* suo, nempe  
ipsa præfente commotione, foveantur, graves lapsus in pejus  
conciliare soleant.

Promptissimum certe est, exemplo rem declarare. Si  
enim eruptiones hujusmodi per vias *insolitas*, non tam ampli-  
us tententur solum, & exitum quærant, quam eundem jam,  
ruptis repagulis, invenerint; si inquam, *hæmorrhagiæ* tales per  
*insolita* loca, cooriantur, nisi insignis & præcipuus illorum ne-  
xus cum *mensium* motu recte perspectus sit; imò justa etiam  
atque sufficiens methodus innotescat, qua ipsi excretioni *so-  
lita*, solide succurri atque consuli possit: quis ibi aliam meden-  
di methodum sibi proponet, quam fortè externam vel inter-  
nam, fluxuum talium *cohibitionem* per adstringentia. At ve-  
ro quam aliena sit hujusmodi medicatio, non solum ab ipso to-  
tius mali fundamento, nempe *mensium successu impedito*, sed et-  
iam sæpe numero ab ipforum talium vicariorum moliminum  
scopo; & quam facile hi ipsi affectus inde in pejus prolaban-  
tur: provocamus merito ad experientiæ testimonium. Imo  
verò, quam alienus hic sit facer ille hodiernus abusus *opiatorum*,  
ne temerè odia proritem, non quidem prolixè tractabo:  
Spero tamen fore, ut posteritas attentior, practicum cor-  
datorum monitis, suam observationem conjungens, olim a-  
gnoscat, quot incommodis & periculis patientes numerosi  
per hujusmodi artificia exponantur, quibus non solum nihil  
ad summam negotii perficiatur, sed etiam ipsis præsentibus  
pathematibus, sæpissime vel longè *major pertinacia*, vel *ano-  
malus progressus*, concilietur.

Vera verò methodus, incommodis, de quibus nobis ser-  
mo est succurrendi, consistit in sequentibus: *Primo*, ut præsen-  
ti malo mitigando, subveniatur per remedia merè placide *tem-  
perantia* & demulcentia; minime vero per *adstringentia*, positi-  
vè *cohibentia*, imò neque ipsa *narcotica*, nisi plane peculiare  
casus aliquid horum efflagitare videantur: In quibus quidem  
(sed rarissimis) pro conditione urgentis impetus, consulere  
pru-



prudenti medico perpetuo integrum est : *Secundo*, ne quæcunque tales inusitatæ *commotiones*, imo ne quidem *excretiones* nisi enormes fuerint, nimium percellant aut perturbent medicum ; quandoquidem certissimum est, quod in ejusmodi casibus, si modo revera tales sint, uti dicimus, omnes tales *commotiones*, imò etiam *eruptiones*, longe minus periculi involvant, si a deviante *mensum* negotio manifestius pendeant : Quam si ab alio quocunque incitamento originem duxerint. *Tertio*, ut omnino ratio habeatur primaria & attentissima, negotii *mensum* ipsorum, quantocyus, sed non magis efficaciter, quam placide & clementer, in debitum suum ordinem atque successum reducendorum. Et cum hic durus utique sit nodus, per *methodos* ad minimum vulgo præscriptas, & *medicamenta* vulgo cognita, *menses* motui suo non magis *placide*, quam *secure* restituere ; Tanto majore utique *circumspectione* utetur hinc medicus, ne quid temere *turbarum* concitet ; Quandoquidem utique factu facillimum hoc est, ut fortioribus *pellentibus* medicamentis, patientes in *pathemata* longe gravissima impellantur, quæ variis modis, modo *querant* insolitos exitus, modo qualitercunque inventos, effuse sequantur.

*Quarto*, imo vero, si maxime solidè *solitas* vias restituere non liceat ; Aut illis etiam restitutis, adhuc aliquid restet, ab illarum *insolitarum* viarum diuturna, aut copiosa, aut valde prompta atque expedita, *assuetudine*, metuendum ; tunc eo dirigenda est *methodus*, ut per commodiores aliquas *ventilationes artificiales*, obstinato illi motui atque proposito *insolitæ* viæ, succurratur, donec sensim deferveat universus *impetus*. Quamvis quidem in hac re nimium securum esse, aut ejusmodi *desuetudinis* ita *brevem eventum* expectare, non liceat, quod cujuslibet veri Practici, attentæ observationi & prudentiæ commendamus.



CAPUT VII.

De

Methodo medicandi specialiore.

**D**Elineavimus præcedente capite *generaliter*, illas intentiones, quas in nostro negotio formare & exequi conveniat; Quibus autem remediis, *specialiter*, imo quasi individualiter, quo ordine atque successu, hoc proficui & ad finem perducere necesse sit, tanquam specialem practicam administrationem, hic deducemus.

Ante omnia itaque, cum de mensium insolitis viis, orbitæ suæ restituendis, sermo & intentio nostra esse debeat, abstrahimus hoc loco a consideratione fluxuū talium sanguineorum, *in se & absolute* consideratorum. Et hoc tanto magis quia partim rarissimè tanta quantitate & tanto impetu prorumpunt, ut fortes & quasi violentas *cohibitiones* efflagitent; Partim omnes ingenere, tanto magis autē *frivole* & minus necessariæ, *adstrictiones* per medicamenta *interna*, non solum ipsi *menstruo* fluxui tanto majus & solidius præjudiciū afferunt: sed etiam his ipsis profusioribus eruptionibus alienis, rarò speratam sufficientem opem ferunt, nisi quidem tanta quantitate ingerantur, ut inde longe graviora viscerum pericula, cooriantur, quibus communissimè, in *siccioribus hectica*, in *humidioribus œdemata*, imò tandem *utrumque simul*, (ut plurimum difficillimè reparabili damno) vestigia legunt.

Pro intentione itaque rei nostræ quadrante, pro motibus, inquam, istis, adeo connitentibus, ad justas *proprias vias* reducendis, putamus ratione dictante nullam priorem esse, debere considerationem, quam ut ipsæ *via*, ad quas reduci atque adigi debeat declinans illa atque evagans aberratio, quantum possibile est *libertati* ita restituantur, ut non modò ad illas, sed etiam per illas, debitus liber recursus fieri, adeoque successui sperato patere possint.

Hoc



Hoc recte sese habente, eò quovis modo respiciendum est, ut motus debiti ad justam ordinariam viam invitentur, atque disponantur.

Hoc fiet ingenere per medicamenta *efficaci provocationi* menstrui fluxus satisfaciencia; In specie verò per horum exhibitionem *justo tempore* institutam: Quale videlicet est illud quod vel *mensibus* muliebribus magis in genere dicatum, secundum *lunæ pbases*: Vel præsentibus subjectis, in specie, quod ferè ab illis commodè adhuc exquiri potest, imprimis si non nimis quam longum sit, amissi hujus fluxus tempus.

Quia tamen, per communia præsertim hujus classis medicamenta, vix fieri potest, quin, sub tentata commotione sanguinis ad *uterum*, aliqua, imo sæpè numero insignis, commotio sanguinis *generalis*, suscitetur; Qua pari facilitate, *eruptiones* illæ per vias hæctenus sibi *assuefactas* augecant: Cui quidem rei infallibiliter subservit *abundantia* sanguinis concurrens:

Propterea in casibus præsertim, has considerationes evidentius offerentibus, commendatissimæ efficaciam est *Immunitio* totius massæ sanguineæ, reliquæ universæ curæ *premissa*.

Quæ tamen tanto feliciter sperato suo officio satisfaciet, si non solum, propter *generales* intuitus, vix nisi circa *æquinoclia* instituat; sed etiam *speciali* respectu, non in brachiis, sed *pedibus*, suscipiatur. Sane verò D. D. Præses hæc monita, non susque deque habenda esse, asseverat, si rebus hisce opus sit, & ab illis certior effectus expectari debeat.

Si hæc recte perpetrata sint, vix unquam opus est, a parte, quæ hæctenus *insolitam* viam præbuit, appulsum illum & molimen, imposterum repellere. Imo verò, non dubitamus hoc ipsum absolutè dissuadere: exceptis solis *duobus* modis, si locum habent. *Primus* est, quando per *externa* medicamenta non solum exitus, sed etiam aditus, sufficienter reprimi potest.



test. *Secundo*, si per medicamenta, non *adstringendo*, sed magis *specificè* congestiones humorum ad certam aliquam partem dissipando, subveniri potest. Cujus rei specimen præsentissimum fuit illud, quod contra vomitum illum *cruentum menstruum* editum est; cujus superius, & in *Diss. de Motu Tonico*, facta est mentio; ubi remedium princeps fuit *Millefolium*, non in substantia, sed *essentiæ* forma: Et affectus hic, tamdiu liberè grassatus, ab hujus, per paucos dies usu, ita absolutè cohibitus fuit, ut non solum illo tempore, quo expectari debebat, absolute conquiesceret: Sed etiam, ne semel posthac, ullum novum insultum capefferet, nedum perficeret.

E medicamentis reliquis, huic negotio, menses directè *in suam viam* restituendi, velificantibus, cum etiam sint *pilula* ita dictæ *Becherianæ*; quas imprimis ipse D. D. Præses, tam in privatis Collegiis, quam semel iterumque in publicis Dissertationibus, laudavit; videtur hoc loco non alienum fore, si ipsius brevis animadversio circa hoc medicamentum, proferatur. Monet videlicet, distingvendum esse inter pilulas illas *veras*; Quas in paucissimorum manibus esse pro certo habet: & falsas, quæ vel ad oberrantium aliquot præscriptionum fidem, vel ad impossibilem sanè in talibus casibus, putatitiam *imitationem*, fabrefiunt. Sicut enim, quod attinet illas formulas, nemo hominum facilè à talibus ingredientibus tales effectus expectaverit, quales à veris expectari possunt; dum ingredientia tantæ simplicitatis, ut vix quisquam aliquod operæ pretium ab illis reportare speraturus sit, continent & præ sese ferunt: Ita e contra illæ, quæ ad *imitationem* factæ putantur, balsamicis adeo *acribus*, *calidis*; *purgantibus*, *penetrantibus*: imò *opio* interdum ipso associato, confarciuntur: ut effectus non solum alienissimos, sed sæpe numero periculosissimos, exhibeant.

D. D. Præses, quamvis his ipsis pilulis, juxta veram etiam ipsarum formulam, non utatur; sed meliori fundamento subnixus, nempè formulâ illarum vera, ad imitationem illarum,



certas sibi usitatas concinnaverit, quæ eosdem effectus, cum modestia loquendo, edant: sed longè majore cum lenitate, & mitissimâ efficacia: ita nihilominus *veram Cynosuram efficacie verarum Becherianarum*, insignibus speciminibus absolvendam exhibere, e communi re futurum arbitratus est, quæ sunt sequentia:

*Veras Becherianas pilulas*, sine omni incommodo dare licet, imò dedisse maximopere prodest, *puerperis*, tam antè, quam statim post, partum; imo aliquot diebus continuis deinceps; *symptomata*, tantum abest, ut ab harum usu ulla coriantur, ut potius alias consveta, ab hoc usu mitescant, imò præcaveantur.

*Profusionem sanguinis immoderatam, lochiorum loco coortam*, nisi intra paucissimum tempus aliquot minutorum horæ inhibeant; Minime tamen *supprimendo*, sed ad justam, *temperantiam*, servato debito *successu*, reducendo: Hoc nisi faciant, *veræ non sunt*.

*Menses*, nisi præ omnibus aliis medicamentis *efficacissime*, & simul tamen *placidissime*, sine omni violentia, fluxui suo restituant, etiam diu *suppressos*; Aut tempestive expediant, *imminutos*; *veræ non sunt*.

*Diarrhœas simplices*, imò à propria ingurgitatione *dysenteriodes*, demum *incipientes*, necdum cruentas; sicut etiam, multiplicem vomendi conatum & assumptorum revomitionem, præsertim *sine febre*, nisi secunda vel tertia dosi hæc singula recte restituant, *veræ non sunt*.

E contrâ, *siccas & obstructas alyos*, citra febrem, aut spasmus verum intestini recti, nisi prima aut secunda dosi, libertati suæ reddant, *veræ non sunt*.

Imò, quæ hæc, non solum *singula*, sed *omnia & singula*, non præstant; aut sub omnibus hisce rebus, quodcunque incommodum ægro creant, reliquo ejus statui minus familiare, imò vero, extra tempus harum usus, non longe magis & gravius familiare, *veræ non sunt*.



Quæ quidem hac occasione innuisse suffecerit; imo insuper adjecisse, quod neque frivole, *sano* corpori, neque indifferenter, *teneris* uti *robustis*, sed omnibus modis *peritè*, & fanè verò *medicè*, illas administrare conveniat, Quali certe, usu, in nostro præsentè negotio, laudem tuebuntur haut vulgarem.

Ceterùm inter *generaliora*, inclinationem excretionis menstruæ ad *solitas vias* incitantia, est partim *pediluviorum*, partim cum *epicrasi* laxantium, usus: Quorum formulis radix *ari* non sine fructu, adjicitur.

E. *specialissimis*, notum est testimonium, quod B. Ludovici instrumento *Glauberiano* perhibet: sicut inter diffusiora, & generalia, *inseffuum* aliqua esse potest efficacia.

*Salibus volatilibus urinosi*, circa tempus *instantium* debitarum evacuationum minimum omnium tribuimus. Quicquid illis loci assignare licuerit, *intermediis temporibus* faciendum, censemus: Dn. D. Præses illis valde parum tribuit.

Quid *Martialibus*, bonâ fide & constanti efficacia, tribuere, integrum esse putet, alibi prolixius dixit: Hic *ad summam rei*, imprimis autem versus tempora debitarum eruptionum restituendarum, operæ pretium factura, constanter, negat.

Denique tamen, quisquis quocunque medicamento, scopos præscriptos directè assequi peritus sit, ille præsentem etiam scopum, complicatum & mutuis respectibus innitentem, satis efficaciter assequetur, si *ordinem* hic propositum, servaverit, utpote in quo cardo rei vertitur.

Quem ut adhuc semel, schemate prorsus aliquo delineemus; Sub initium curæ, pro *restituendo*, motu sanguinis menstruo, ab *insolitis* viis ad *solitas* atq; debitas; *primo* omniū convenit ventilatio sanguinis per *Venesectionem*. Sub *necessitatis* aliqua lege, si *plethora* evidens adfuerit; Sub *utilitatis* certæ fiducia, si vel maxime tam notabilis *plethora* non concurrat, quod tamen oppido raro fit.



Instituatur in *pede*; Versus *novilunium*: Neque facile, nisi circa *æquinoclia*. Ita, ut nostro arbitratu, totam solidam curam, potius versus illa tempora differre, quam Venæsectiones, imprimis in *sensibilibioribus* (cujusmodi tales communissimè sunt) promiscuè quolibet tempore suscipere, præstet.

Imò verò, non adeo absolutè postulat necessitas, in quibuslibet patientibus particulariter, à Venæsectione præcisè *initium* facere, quin illa etiam reliquæ methodo interferi, & quod ajunt, post principia locari possit: Ut propterea expectando opportunius tempus Venæsectionis, non absolute, nihil agere necesse sit. Sed illud tantum monendum utique ducimus, quod *ante* vel *citrà* Venæsectionem, reliqua medicatio semper nimium quantum magis *placide*, imò quasi *mitissimè*, instituenda veniat, nisi commotionibus heteroclitis gravioribus, viam potius aperire, quam præcludere, velimus.

Nempe *certior & securior* est methodus, concurrente Venæsectione; Omissa illa *incertior*: Si tamen modestè tractetur, & naturæ *docilitas* potius, seu facilitas, quàm è reliquo robore æstimandus *vigor*, prudenti medica manuductione, regatur, potest etiam illa ad optatum finem aliquando perducì.

Factis talibus ventilationibus, possunt lenes Evacuaciones *cathartica* cum *epicrasi*, versus tempus soliti justì fluxus, institui; Ita, ut circiter octo dies antè terminum incipiant, & in illud tempus desinant.

Hoc ipso jam solitæ debitæ Evacuationis tempore, convenit demum remedio, ad ventilandam ipsam *eruptionem* efficaci, subvenire. Quod tamen, si in fortiore saltem *commotione* sanguinis efficaciam suam collocatam habere putandum sit, male consulturum esse specialissimæ huic intentioni, merito judicari debebit. Referimus huc, quæ antea de hac classe medicamentorum protulimus.

Placet incidenter commemorare, quod etiam aliquando  
do



do menses, per aliquot periodos suppressi, per *Nitrum regeneratum* referati sint: Quod, quidem illiteratus quidam curiosus, ipsemet sibi paraverat; sub nomine & opinione *Tartari Vitriolati*: Nempe è Spiritu ab illis circumforaneis Spirituum mineralium gerulis, pro spiritu vitrioli ipsi vendito: Quem per errorem venditoris, *Nitri* spiritum, vel *aquam fortem* fuisse, hoc productum monstravit: Ipsissimum videlicet verum *Nitrum*.

Ceterum si hoc loco & tempore, *verarum Becherianarum* pilularum moderatus usus, in subsidium veniat; poterit ille facile quorumlibet aliorum locum commode & efficaciter supplere.

Si una simplici tali prosecutione, minus succedat eventus, repetenda est, excepta Venæsectione, hæc eadem methodus, instante rursus tempore, versus menstruum procedente. Possunt tamen tunc maxime temporis, & imprimis versus exquisitum tempus, *pediluvia* in usum trahi.

Ita certe, si res poscat, justo tempore repetendo, imò *recuperato* etiam debito fluxu, per aliquot menses deinceps, eidem iterum prudenter ita obviam procedendo & subveniendo, nisi rarissimis casibus insignis *cachectica* conditionis & pessimæ *diætæ*, nunquam fiet, quin justus successus, hujusmodi methodo promptè & constanter obsequatur.

Tantum hac vice. D. T. O. M. pro benignissime præstito nobis auxilio, sit gloria sempiterna.





GEORGII ERNESTI STAHL,  
MED. D. ET PROFES. PUBL. ORDINAR.

*PROPEMPTICON INAUGURALE*

DE

**FLUXUS MULIEBRIS,**  
**QUATENUS MENSTRUI,**  
**CAUSA.**





Uam difficile fit hu-

mano intellectu, Motū cum circumstantiis ipsi intrinsicis, & ut loquuntur essentialibus, perspicacius intueri; Longe magis vero proclive, corporis & materiæ corporeæ proprietates assequi: Testari potest universa, imprimis

tamen hodierna, philosophia, in arguendis atque citandis tribus aut quatuor illis vocabulis, certæ magnitudinis, certæ figuræ, certi situs, certi numeri aut rævum usque occupata: Circa quælibet autem motus phænomena, absolutè ad Θεὸν ἀπὸ μηχανῆς confugere necesse habens. Et profectò, ego ipse facile illis accedo, qui multorum Motuum rationes, imprimis qui à posteriori evidentem aliquam rationem non præ se ferunt, comprehendi non posse, ingenuè agnoscant: Connumero verò inter has incomprehensibiles motuum circumstantias, imprimis Tempus exquisitè statum: Et tale quidem, quod non tam cum mutationibus motuum macrocosmicorum, æquinoctiis, solstitiis, tempestatibus, æstu vel frigore, die vel nocte &c. conspiret: Sed magis propriam aliquam & immediatè definitam mensuram atque periodum præscriptam habeat, quomodocunque tandem modo dictæ macrocosmicæ mutationes succedant. Inter hujus generis conditiones atque respectus Motuum ad tempus, meritò primo loco numero, insignes varias mutationes, per mensuras septenario nume-



numero innexas, in corpore humano obtingere solitas. Hujus rei rationes nemo hominum unquam adhuc adumbrare in se suscepit, præter solos Astrologos; Qui, cum planetarum, cum illi quoque septem numerentur, vario motu atque positu has res comparare atque conciliare laborant. Non dissimulo mentem meam, quod ad minimum ex omnibus aliis considerationibus, quoad τὸ ὄτι, hæc adumbratio adhuc majorem probabilitatem præ sese ferre videatur; Et tanto magis quidem in acutis affectibus, ubi etiam exactior computatio, communiter sic satis scopum ferit (in quam rem adhiberi merentur, Cornelii Pleyeri Medicus Criticus Astrologus, & Joh. Ganiveti amicus Medicorum) Interim quilibet utique videt, quod hac ipsa etiam ratione, si vel maxime experientia constans & exquisitissima confirmare posset, quod hi motus in humanis corporibus, cum sideribus συζυγίαν suam habeant, nihilominus causa atque motus hujus nexus nondum dispalescat.

Quemadmodum autem sæpenumerò minime inconcinnum est, ad minimum veras, aut vero maxime similes causas reperisse; Quantumvis modum ad energiam causandi non jugiter assequi integrum sit: Quam immediate rebus τὸ θεῖον, ab omni alia Cosmica causalitate abstractum, imputare: Ita sanè in his etiam negotiis, intermedios tales nexus atque respectus causales, veros tamen atque certos, absurdum sit, contemnere atque insuper habere, quoniam ultima causandi ratio non satis dispalescat. Adducimus exemplum, modo allegatos affectus acutos, & supponimus notum esse illis & compertum, qui nos intelligere volunt, quod successus atque decursus horum, septenariis temporibus innitantur. Jam non dubitamus pro sanæ mentis impote merito habitum iri medicum, aut quemcunque tandem hominem, qui recusaret hanc rem vel prognosi sua, vel therapia, imò medicandi methodo, respicere aut attendere; nedum veritatem facti ipsius negare. Propterea, quod ratione nostra assequi non liceat, quo modo & directo causandi nexu hæc ita eveniant.



Ego vero, ut minime ignarus sum, unde omnia talia pendeant, ut videlicet modo imperite dubitetur, modo ignoranter negetur, aut contradicatur; Possum tanto facilius cuilibet sua relinquere: Interim iustissimo jure idem etiam ab istis expecto: quod si præstare refragentur, necesse fane est ut sentiant, quam dispar sit ratio veræ atque bonæ, & malæ atque falsæ causæ. Hac ratione atque methodo non dubito, methodum meam phænomena corporis humani solida theoria excutiendi, persequi; Et suscepi hac ipsa quoque occasione Thema tractare, quod hæctenus indigitatæ sit indolis, nimirum rationem investigare, cur purgatio foeminarum, menstrua dicta, tempus hujusmodi fervet, nempe menstruo spatio partim absolvatur, partim repetatur. Sicut autem in mea methodo theoretica, semper sollicitè eo conniti soleo, ut ante omnia veritas historiæ, seu facti ut vocant, solide perspecta sit; Ut nempe non falsarum fictarum aut incognitarum rerum causas investigare, merito reprehendi queam: Sed non solum e veris, sed etiam omnibus non divulsis, non separatis aut dissimulatis, rei proprietatibus, verum atque solidum, & totum objecti latifundium exhaurientem, ætiologiam assequi possim: Ita utar hic etiam hac ipsa methodo, adeoque primo omnium loco veram historiam motus huius purgationis menstruæ prælibabo. Consistit hæc in eo quod foeminis ab eo tempore, quo infantes gignendi compotes fiunt, sanguis e genitalibus profluere incipiat; Et hoc quidem, quo magis rectè atque ordine succedit, vel ipso mox primo exitu, vel fane magis magisque subsequentibus, tempore insignis alicujus Phaseos lunæ; Novilunio, aut plenilunio. Continuat hic fluxus, reliquis circumstantiis quasi ad amissim melius constitutis, ad quatuor aut septem dies. Ut ita septimana illa, à die quo prorupit, ipsi impendenda, seu annumeranda videatur. Ab hac septimana, quando tres aliæ sequentes elapsæ sunt, redit ille ipse fluxus, & procedit etiam dictorum, septem circiter dierum, decursu: Post alias tres septimanas ab illorum ultimo numerandas, iterum expectandus



duſ. Hujus rei rationem ut aſſequamur, neceſſarium duci-  
mus, ipſi ad latus ponere negotium Crife $\omega$ v. Notum eſt has ab-  
ſolvi ſeptenariis dierum, ſeu ſeptimanis, a die primi inſultus nu-  
merandis; Ita quidem, ut in periculo ſummo dimidium pri-  
mæ ſeptimanæ, nempe quarti diei initium, totam criſin afferat,  
aut ad minimum notabiliter inchoët, factò initio exoneratio-  
nis. Quando inſignis adhuc periculi, adeoque juſtæ imò ne-  
ceſſariæ feſtinationis eſt negotium, ſeptimo die inſtituitur ex-  
oneratio: Quo magis langvet & periculum, & ſollicitudinis  
reſiſtendi molimen, eo magis in decimū quartum, imò in vige-  
ſimum, aut vigefimum primum diem, differtur expulſio. Præ-  
terea, quemadmodum criſes illæ fervidæ, promptæ & alacres,  
evidentioribus moliminibus, & ſimultaneis largis evacuationi-  
bus quamplurimum abſolvuntur; Ita econtra, tardiores illæ,  
manifeſto lenes etiam ſunt, & ſi maxime non ſemper & abſo-  
lute parcæ ſive paucæ, non tamen etiam impetuoſæ, aut ſimul-  
taneis turbulentis eruptionibus gaudentes. Has res, negoti-  
um & hiftoriam menſium & criſe $\omega$ v, ſi inter ſe comparemus,  
primo omnium loco nemo eſt qui dubitet, quin excretio men-  
ſtrua in genere ad exonerationes ad minimum generaliſſimo  
ſenſu criticas pertineat. Fit enim non ſolum ad exoneran-  
dum corpus à ſanguine ſuperfluo, ſed etiam ita, & propterea  
exonerandū, ne damnum aut corruptio aliqua corpori hinc  
ſubnaſci poſſet. Sicut autem hoc ipſum quodcunque da-  
mnum aut periculum, adeo præſens, & ut vocant urgens, non  
exiſtit, ut propterea ſive inſigni ſive brevi penitus & præcipiti,  
impetu, opus ſit: ita differtur etiam executio ad tardiſſimum  
hujus generis terminum, & peragitur hoc ipſo tandem tem-  
pore, placido magis & tranquillo ſucceſſu. Non dubito, in-  
quam, Menſtruam periodum, Criticam appellare, ſive menſu-  
ram temporis qua gaudet, criticæ intentioni atque directioni  
in acceptis ferre; Ita nimirum, ut tertia ſive tardiſſima pe-  
riodo critica, quæ quidem eccriſes adhuc parturiat, 20. vel  
21. dierum, abſolvatur; facta vero tunc temporis eruptio  
placido leni ſucceſſu quartam ſeptimanam occupet aut ex-



pleat: A cujus demum fine, novi tres septenarii, quorum postremus dies crisin aperiat, iterum procedant. Ita quidem periodum, ut vulgo vocant menstruam, criticis periodis assigno. Interim, sicut ego ipse minime repugno, aut præfracte inficior, quod lunæ, qualiscunque demum illa sit, concursus, sive ut vulgo vocant influxus, tum criticum negotium in genere, tum menstruum in specie, insigniter afficiat, iisque multum conspiret: Ita minime tamen assentiri poterō illis, quicunque menstruum negotium, magis immediato nexu atque respectu, lunæ efficaciam, quam criticis destinationibus ascribere laboraverint. Argumentum meum in hac materia, fundatur in eo, quod quantumvis ceteris paribus & velut ordinarie, plurimū in mensium tempore luna posse videatur; Nihilominus tantus numerus præsto sit exemplorum, ubi non æque ulla consideratu digna declinandi causa, concurrat, & tamen periodus mensium ab insignibus lunæ phasibus deflectat: quam alius, ubi illas exquisitè sequatur. Quod certè fieri non posset, si tam insignis, nedum absoluta efficacia lunæ in hujusmodi temporis determinatione, subesset: Utique enim ad minimum non deberet periodus mensium, ab energia illius Dirigentis, nisi intervenientibus admodum potentibus & vehementibus aliis obstaculis, dimoveri. Imo non dispalesceret ulla evidens ratio, cur non potius intercepta lunæ in hoc genere potestate, totus potius effectus supprimatur; Quam solum à justis suis terminis dimoveatur, & tamen de reliquo satis exactè perennet: id est, sine nexu cum sua causa. Quæ quidem res acutarum crifium, tanquam laboriosiorum, negotium, minus premit; Quandoquidem illarum diversus successus & eventus, tanto commodius huic diversitati efficaciam lunæ in variis suis phasibus hoc ipso commode imputatur: In præsentē vero negotio constans etiam, ordinatus, & tranquillus effectus, in quamlibet lunæ phasin, propemodum indifferenter incidit, non pariter quadrat.



Placuit hæc præmittere Invitationi ad Solennem Disputationem quam habiturus est,

**DN. GEORG. FRIDERICUS Jäschke**

Stroppa-Silesius

Medicinæ Candidatus dignissimus,

Natus hic est Parentibus Honestissimis, Pl. Rever. & Ampl. DN. M. ABRAHAMO Jäschke / Eccl. Stroppensis & Wergengavensis Pastore Vigilantissimo: Matre honestissima Matrona DN. SUSANNA, familia Hedelhäverin. Educatus ab Optimis Parentibus in Pietatis & Probissimorum Morum jugi exercitio, crescente justa ætate studiis liberalibus dicatus atque destinatus est, quorum primitias in humaniori literatura imprimis Vratislaviæ hausit, sub manu ductione dexterrima æque atque fidelissima Celeberrimorum Elisabethani Gymnasii Professorum, quos propterea merita gratitudine concelebrat. Cum Ao. 1699 adiit Lipsiam, ubi partim Philosophica studia profecutus, partim Medica atque Physica sectatus est: & his quidem jugi progressu excolendis, manu ductioni B. D. D. LANGII, Facult. Med. Assessoris Celeberrimi, sese tradidit: Erepto autem hoc properantibus Fatis, Excell. D. D. RIVINI, Professoris Famig. informationi sese addixit, cujus Doctrinam facillimam, maximeque perspicuam & fidelem maximi facit. Præter hos, ut vocant Cursus medicos publicas etiam Lectiones frequentavit Magnif. D. D. BOHNII medico-legales & Therapeuticas; Pathologicas & Botanicas laudati D. D. RIVINI: Privatis etiam Collegiis interfuit Exc. D. D. PETERMANNI in casus practicos clinicos: Chymica B. D. D. LANGII, laudati D. D. RIVINI, & h. t. Magnif. Acad. Rect. D. D. SCHAMBERGERI: Physica & Anatomica, Exc. D. D. PAULI & D. D. SCHACHERI, nec non D. D. ETMÜLLERI, ubi etiam Pathologico-Semiotica, ad  
ad



ad placita D.D. BOHNII, & tab. D. D. WEDELII audivit. Publice quoq; disputavit, tum sub Exc. D. D. BOHNIO, Diff. V. de Medici Officio: & sub Præsidio D. D. SCHACHERI, de Cataracta. Pertractato ita, imprimis cum serio & indefesso studio universo Medicæ Doctrinæ statu, ad praxin ipsam capefendam, consilio & svasu illorum, quorum justa & præcipua apud ipsum est autoritas animum applicuit; & in eum finē Jura atque Privilegia a summis mundi Potestatibus his usibus destinata, adspirans, Regiam nostram Academiam & Facultatem Medicam accessit, desiderium suum modeste aperuit & Profectuum suorum justa specimina debitis Examinibus exhibere, in se recepit. Ubi se etiam talem præstitit, datis laudabilissimorum progressuum speciminibus, ut ad sedendū publicum ultimum Eruditionis suæ documentū cathedram ipsi pandere debuerimus: Habebit itaque Disp. Inauguralem, de **INSOLITIS MENSIVM VIIS**, sub nostro præsidio, proximo XVI. Sept. Ad quem actum solemnem, ut Magnif. Dn. Pro-Rector, Proceres Academiæ Illustres, Magnifici, & Excellentissimi, Hospites atque Cives, Illustrissimi, Illustres, Generosissimi Nobilissimi, Clarissimi, condecorandi actus gratia honorifica præsentia sua adesse velint, est quod officii nomine, qua par est honorifica invitatione expeto,

P. P. Halis Magdeb. XIV. Septembr.

MDCCLII.

(L. S.)